

Bref de Sa Sainteté Léon XIII érigeant Montréal en archevêché  
et nommant Mgr E. C. Fabre archevêque de Montréal.

**LEO P. P. XIII**

Ad futuram rei memoriam.

Renuntiatum est Nobis a Venerabili Fratre EDUARDO FABRE, Episcopo Marianopolitano, in Canada Marianopolim Sedem Episcopatus sui tum incolarum, tum fidelium et sacerdotum numero necnon civili dignitate ceteris Quebecensis provinciæ civitatibus antecellere, ideoque in ejusdem civitatis decus splendoremque par esse, ut Episcopalis Sedes in archiepiscopalem evehatur. Hac de re cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus christiano nomini propagando præpositis egimus, accurateque expensis omnibus de eorumdem Fratrum Nostrorum consilio id concedendum censuimus. Quare hisce litteris Apostolica auctoritate Nostra, deleto titulo Episcopali Marianopolitanam Diocesim Archiepiscopalem in Diocesim cum omnibus juribus ac privilegiis evehimur, instituimus, servata Nobis et Sancta Sedi Apostolicæ suffraganeos eidem Archiepiscopali Ecclesiæ in posterum assignandi facultate, ejusdem que Archiepiscopalis Sedis Marianopolitanæ Venerabilem Fratrem Eduardum Fabre Archiepiscopum dicimus et renuntiamus, eique omnia et singula jura, honores, privilegia, indulta Archiepiscoporum propria concedimus et impertimus. Non obstantibus licet speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque. Propterea decernimus has litteras Nostras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et in posterum spectare poterit, in omnibus plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicæ Nuntios, et S. P. E. Cardinales etiam de latere legatos, sublata eis et eorum culibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere alque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII junii MDCCCLXXXVI Pontificatus Nostri Anno Nono.

Loco Sigilli.

(Signatus) M. Card. LEDOCHOWSKI